

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

LXXI.

Eidem Tuppio.

**G**Audeo, consicere vos posse rationes ex iis, quæ ex me audivistis & quæ invenistis inter chartas meas, gratiam vobis habeo de vestra diligentia & studio in meâ calamitate: si calamitas est, quam fero non solum mediocriter, sed etiam hilariter. Ego ipse cogitavi, necessarium esse, ut ante conscriptas rationes veniremus in colloquutionem: sed ut istuc ad vos veniam, oro, ne à me petatis. Sanctè enim proposui, non prius me venturum in urbem, quam aut iudicatum sit in Camera aut transactum inter Senatum & me. Quoniam laborem ingenii magni sustinuitis: oro vos, ut paucarum horarum professionem ad me suscipiatis. Mittam vobis equos, quibus vehamini ad me, quos mittam ad eum diem, quem mihi constituetis. De Spazingeri filio miror, & quoniam vos illius rationes juvare poterunt, scribam ad ipsam, ut ad vos ultro accedat. Oro vos, ut in hac re ne mihi resistatis, & ut diem statuatis, ad quem equos mittam & vos expectare debeam. Vale. Northemii, 7. Ao. 82.

*Tuus quem nosti ex argumento.*



LXXII.

Eidem.

**D**E isto corpore Diaconorum quid sentiam & quid senserim, non obscure aliquando indicavi. Non mihi placent istæ actiones *στυγερῶν*: quæ multis illudunt, ut etiam mihi. Omnino mihi placet te vindicare jus custodiæ tuæ & tuum vicariatum Sti Michaelis in hoc tuo officio, quod per iusjurandum, quod jurandum omnibus custodibus est, facere debes: & jam facultas est huius rei conficiendæ, ita ut D. Martino Malleolo augeri stipendium possit, & fieri honesta commutatio Scti, Michaëlis & Sctæ, Mariæ Magdaleneæ, præsertim cum collatio sit Capituli, à quo Malleolus vicariatum suum accepit scholararum intercessione. Ferre possum, ut hanc epistolam meam recites in Capitulo. Nam concedo, quia semel decretum fuit, ut Diaconi suum corpus retineant, sed absque fraude Capituli. Non fraudabitur Capitulum, si libenter hanc commutationem fieri patietur. Decanus Dasypodius idem jus habet, quod tu, sui juris defendendi. Sed velim vos inter vos consentire: & Dasypodium aut pro hoc tempore dissimulare, dum tuam causam ages: aut aliunde ex ceteris commodis Capituli invenire, ut & corpus Diaconorum maneat & Decano Dasypodio suus vicariatus restituatur. Hoc enim modo conservaretur & Con-

cor-

cordia Capituli & nemini aliquid decederet de suo jure, & antiqua firma manerent Privilegia. Istud fieri posse possum probare exemplo Marbachii, qui cum contulisset corpori Diaconorum istos vicariatus, eosdem conatus est paulo ante mortem sibi vindicare.

Rogo te, Domine Doctor, age hanc causam diligenter, nec dissimules sententiam meam, atque eam etiam indica Decano Dasypodio. Quantum attinet ad domum Marbachii, in qua Decanus Dasypodius succedet jure collationis meæ, facio tibi & Decano, D. Beuthero, potestatem ejus inaugurandi, ut & collatione mea & mea confirmatione, quamprimum placebit, Marbachii ædes habitare possit. Istud huic epistolæ addidi, ut simul recitetur mea sententia de corpore Diaconorum. Vale, mi Doctor Tuppi, compater atque collega carissime & venerande. Northemii, 31. Martii, Ao. 82.

Joan. Sturmius, Præpositus.

mea manu s.

LXXIII.

*Reverendis viris, Decano & Capitulo Thomano,  
Collegis suis observandis.*

AUdivi, quæ à me petiistis per Dominum Decanum & Doctorem Tuppium. Petitis autem per hos duos, ut pro hoc tempore cedam Capitulo de jure meo, & patiar Flori filium, Diaconum, immigrare in ædes Matthiæ Miegii, quas ego ante multos menses M. Brantio Vicario Capituli promisi, & mea postrema epistola ad vos confirmavi & promisi, antequam ulla facta est novi Diaconi mentio. Ego vero persisto in mea prima sententia. Contuli domum Dasypodii Gyphanio. Gyphanii domum Glasero: Miegii ædes angustiores, mea domui vicinas, Joanni Brantio, cujus operam scio utilem fuisse in scholis, tamen humili in loco & quem propter senectutem cupio mihi proximum esse, non solum propter privata mea negotia, sed etiam propter publica tum Collegii Thomani tum etiam Academica, quemadmodum ex epistola mea potestis intelligere, si intelligitis rectè. Maneo inquam in hac sententia, nec puto Senatus sententiam esse, ut necessarium sit domum Canonicalem & hanc domum Miegii conferri novo Diacono. Istud vobis scripsi in epistola mea, quam audio recitaram esse heri & die Sabbathi in Capitulo. Sed ex duobus Collegis nostris, quos ad me misistis, Domino Dasypodio Decano & D. Doctore Tuppio Canonico, intellexi, Joannem Fabrum retulisse, senatus simpliciter Sententiam esse, ut vestro Diacono Miegiana hæc domus concedatur, nec alia.

Hanc